

Qua omni mundata basilica, necnon in melius aliquantulum reformata, ornantes faciem templi olosericis auleis et multi generis utensiliis, sanctissimas reliquias loco deposuimus priori. 53. Porro ille Leviathan, contra virum Dei multifariam surgens, quem vincere non prevalet, se eius prosperis successibus intermiscet. Nempe artifices cellam dormitorii agredientes, dum unus, Arnulfus nuncupatus, discurret incautius, lapso pede, terrę deicitur, confestim a ¹⁾ Dei homine elevatus, tanquam nullius incommoditatis iacturam perpessus, ad socios revertitur.

Alter quoque, vocabulo Algesius, dum suggereret operis sumptus culinae fratrum artificibus, a summo labens culminis XXX cubitorum altitudinis, merito huius ter beati illesus evasit.

54. Tertius etiam, Archembodus vocitatus, dum, ad dependenda maiora signa, recenter beatae memoriae ²⁾ constructa industria, quoddam lignum aptaret, a superiori turris lapis immensi decedit ponderis, miserumque inter scapulas ictum pene exanimum reddidit. De eius vita desperatis omnibus ad domum propriam semivivus defertur, cuius infortunio beatus pater comperto accessit ad eum per semetipsum, et infirmi casibus tanquam in se susceptis compatiebatur. Ex qua re potes pensari ³⁾, quantę pietatis fulgore hic Dei amicus enituerit. Sciensque scriptum esse: 'Quanto magnus es, in omnibus humilita te, et coram Deo invenies gratiam' ⁴⁾, nullum pretermittit diem, quin predictum visitet languentem. Victus subministrat alimoniam, et quasi operi presentem cotidiani laboris largiri precipit mercedem. Verumtamen expleto unius septimanę spatio, pristinę iam redditus medelę, gratiarum actiones reddit pro voto, deincepsque aecclęsiastico se letabundus mancipat servitio.

55. Inter tot tantaque huius hominis Dei magnalia, haudquaue abfuerunt Fides, Spes et Karitas, quarum propensiori gloria ut lucifer effulsit in praesenti vita, et quoniam harum sacro comitatu totius animi floruit moribus, meruit quoque earum certis publicari indaginibus, quarum ex innumeris unum dignum duximus inserere opusculo presenti. Accidit sane quodam tempore ut, gratia spiritalis exercitationis iam obeunte aurora diei, quendam nostrorum fratrum, nomine Hisembardum, cuius superius egimus mentionem, sibi preciperet evocari; erat enim vir magnę reverentię et laudabilis per omnia vitę; quorum dulcia ad invicem colloquia cum iam tardior ad conticinii moetas promoveret hora, contigit memoratum virum Dei gravioris infortunio sitis turbari; credo divinitus, quo omnipotentis Dei famuli meritum propensioris oppinionis captaret titulum. Primumque verecundę taciturnitatis silentio casum

1) Hs.: ad.

2) Bleibt eine Lücke für etwa 20 Buchstaben.

3) Sic!

4) Iesus Sirach III, 20.